



1799

Sammelband 4

10 Br

- 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19
- 20
- 21
- 22
- 23

141

Præfides

- | | | |
|----|--------------|---|
| 1 | Scharf | <i>De Sponsalibus.</i> |
| 2 | Wildvogel | - inutilibus Sponsalior. Divisionibus |
| 3 | Vatand | - lege connubii Levit. XVIII. § II. |
| 4 | Scharf | - jure nuptiarum. |
| 5 | Mevius | - nuptiis. |
| 6 | Bodinus | - Nuptiis civilib. & canonis. |
| 7 | Hirschmaier | - lege Papia Popæa. |
| 8 | Schultz | - Polypædia. |
| 9 | Fichtner | - præmiis polypædiæ. |
| 10 | Meier | - uxore virgine. |
| 11 | Herzog | - Polygamia. |
| 12 | Augustinus | - adulterinis conjugis. |
| 13 | Mayer | - conjugio Jacobi cum duab. fororibus. |
| 14 | Menchen | - divortis sec. jus Nature. |
| 15 | Witte | - potestate maritali. |
| 16 | Simon | - impotentia conjugali. |
| 17 | Nachtenhofer | - vitris. |
| 18 | Lauterbach | - singulari affirmum jure. |
| 19 | Bardili | - Sponsalitia largitate. |
| 20 | Friesen | - donationibus simplicibus inter conjuges. |
| 21 | Wernher | - potestate Principis circa novas nuptias concedendæ parti nocenti. |
| 22 | Reichenbach | - Unione prolium. |
| 23 | Jacobs | - dote ante matrimonium consummatum liberanda. |



Nr Praefides

24 Pfäfer De eo qui iust. circa dotes.

25 Hevoigt - utili rei pecunia dotali comparata
vindicatione.

26 Linck - Dispensatione matrimoniali.

27 Linck - matrimonio lege Salica contracto.

C.

6
NUPTIÆ CIVILES
& CANONICÆ.

SEU

Dissertatio Inauguralis Juridica

EXHIBENS

FUNDAMENTA
NUPTIARUM CONTRAHEN-
DARUM ex PRINCIPIIS JURIS CIVILIS
& CANONICI DESUMTA.

Quam

DIVINA ASSISTENTE GRATIA
Autoritate, & Decreto Magnificæ, Nobilissimæ,
& Amplissimæ Facultatis Juridicæ

In ILLUSTRIS ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA

P R Æ S I D E

VIRO AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO

DN. HENRICO BODINO,

Jcto Celeberrimo, & in hac Inclyta Academia HASSO-SCHAUMBURGICA

J. Canon. Profess. ordinario Facultatisque Juridicæ p. t. Pro-
DECANO Spectatissimo

P R O

Summis in utroque jure HONORIBUS ac PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS ritè consequendis
Publicæ

Dnorum PROFESSORUM aliorumq; Eruditorum ventilationi proponit

WOLRAD REINHARD,

HASSO-CASSELLANUS.

Ad diem 10. Februar. Horis ante, & pomeridianis.

ANNO M. DC. XCIII.

RINTHELI, Typis Godofredi Caspari Wächters. Acad. Typog.

INSTITUTIONES

& CANONICAE

DIVINAE

F. U. N. D. A. M. E. N. T. A.

INSTITUTIONUM

DIVINAE

& CANONICAE

DIVINA

ACADEMIAE

INSTITUTIONUM

ACADEMIAE

VIRO

DOCTISSIMO

ACADEMIAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE


ACADEMIAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE

ACADEMIAE





§. I.

DE nuptiis dissertationem scripturus haud abs re fore censeo pauca de sponsalibus, quia nuptias præcedere solent, præmittere. Dicta sunt sponsalia à spondendo, quia moris erat veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. *l. 2. ff. d. sponsal.* unde etiam sponsi sponsæque appellatio nata est. *l. 3. eod.* hinc Romanis scriptoribus pacisci aliquando idem est, ac desponderi, uti apparet ex illo Livii *lib. 1. c. 2. Turcius Rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum sibi advenam agere patiens, simul Aeneæ Latinoque bellum intulerat.* Stipulatio hæc fiebat vel simpliciter, vel adjectâ pœnâ, uti patet ex *l. ult. C. d. sponsal.* ubi hoc abrogatur. Jure novo ad formam sponsaliorum, essentialem nudus sufficit consensus. *l. 4. ff. d. sponsal.* & quidem d. futuro matrimonio. *arg. l. 1. ff. eod.* hinc definiantur *mentio & repromissio futurarum nuptiarum. d. l. 1.* hoc est, *promissio mutua atque reciproca d. matrimonio per consensum conjugalem perficiendo, & per cohabitationem, corporumque conjunctionem consummando.* Quibuscunque tandem verbis exprimatur, nihil interest; modò verba sint talia, quæ juxta idioma linguæ, in qua verba fiunt, declarant consensum de futuro matrimonio. *d. l. 1. ff. d. sponsal.* id, quod haud dubiè evenit, quando in Latina lingua contrahentes utuntur verbis temporis futuri; v. c. *Ducam te uxorem, nubam tibi, item spondes te uxorem futuram? te mihi nupturam promittis? & similibus:* uti id apparet ex Gellio. *l. 3. c. 4.* ubi inquit: *Quæ uxorem ducturus erat, ab eo, a quo ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductam iri: qui daturus erat, isidem sponde-*

A

bat.



bat. Is contractus stipulationum sponsonumque dicebatur sponsalia. Tunc que promissa erat, sponsa appellabatur: qui sponderat ducturum, sponsus.

§. II. Eorum autem consensus hinc exigitur, quorum in nuptiis desideratur. *l. 7. §. 1. ff. d. spons. junct. l. 2. ff. d. rit. nupt.* Necessè itaque est, ut liberi in potestate constituti parentibus suis notum faciant, se sponsalia contrahere constituisse; ideoque rogare, ut consensum suum ipsis præstare velint. Parentibus autem ita requisitis incumbit, ut, nisi justa fortè subsit causa, in sponsalia liberorum honesta consentiant. *arg. l. 19. ff. d. rit. nupt.* Si tamen citra causam, ex sola morositate aut avaritia dissentiunt, tunc magistratus à liberis est adeundus, cujus officium est examinare causas dissensus paterni, utrum justæ sint, nec ne, atque eo perpensò partes suas interponere. *arg. d. l. 19. justa dissentiendi causa non est inopia ejus partis, cum qua liberi conjungi cupiunt: divitiæ enim non sunt requisitum matrimonii substantiale, sed accidentale quid; quod aliquando quidem proficuum, attamen haud rarò etiam damnosum esse solet: Intolerabilius enim nihil est, quam foemina aures.* Hæc ita quando parentes à liberis rogati consentire desiderio illorum nolunt. Verùm sponsalibus à liberis clam patrem contractis, idque purè, & absque omni reservatione consensus paterni, tunc nulla sunt ipso jure. *arg. l. 7. §. 1. ff. d. spons. junct. l. 2. ff. d. rit. nupt. l. 5. C. d. legib. arg. c. 6. X. d. condit. appos. nec tenetur hoc in casu parens quod gestum ratum habere, aut dissensus sui rationem reddere; sed solus ejus contemptus justissimam dissentiendi causam continet. Carpzov. jurisp. consistor. part. 2. tit. 3. def. 57.* Neque convalescunt ejusmodi sponsalia si juramentum accesserit: idque jure civili extra omnem dubitationis aleam positum censeo: Indubitati enim juris est, actum jure civili invalidum per juramentum superveniens non convalidari. *l. 7. §. 16. ff. d. pact. l. 5. C. de leg. b.* sed jusjurandum ad instar pisciculi, Polipum quem vocant, atque de



de quo narrant, quòd illum semper assumat, atque exhibeat colorem, cui adhæret; semper imitari naturam ejus negotii, cui additur. *per l. ult. C. d. non numer. pecun.* Juri quoque divino hæcenus dicta sunt conformia. *arg. Numer. 30. v. 4. §. 6* Sed an non juxta canonici juris sancita sponsalia hæc confirmantur? Dico quòd non. *vid. Carpzev. d. loc. def. 58.*



§. III. Jus nostrum civile, ejusque interpretes unicum saltem sponsaliorum agnoscunt genus, illud sc: quod continet promissionem mutuum de futuro matrimonio. *arg. l. 1. ff. de spons.* Canones autem dividunt ea in sponsalia de futuro, & de præsentis. *cap. 31. X. d. sponsal.* illa sunt, quæ contrahuntur verbis temporis futuri: hæc, quæ contrahuntur verbis præsentibus. *d. c. 31.* Monent tamen interpretes ex solis verbis hoc præcise non æstimandum; verùm providum prudentemque judicem ex circumstantiis perpensurum, ac judicaturum, quid inter partes actum sit: & si de eo indubitata constare nequeat, potius sponsalia de præsentis, quam de futuro contracta censerent. *Hunn. ad Treuil. volum. post. disput. 6. quest. 10.* Sponsalia de præsentis vera & propriè dicta sponsalia non sunt, sed ipsum matrimonium, non solum jure civili, *l. 30. ff. de reg. jur. l. 66. in fin. pr. ff. de donat. int. vir. & uxor.* sed etiam juxta canones. *can. 3. caus. 30. quest. 5. can. 4. §. 6. caus. 27. quest. 2. cap. 25 X. d. sponsal.* impropriè tamen dicuntur sponsalia, consensu quamvis purè & de præsentis interpositò, quàm diu benedictio sacerdotalis, thoricque conjunctio nondum est subsecuta: idque per analogiam ac similitudinem, quam cum veris sponsalibus habent; prout enim illa continent promissionem de matrimonio perficiendo, sic hæc (de præsentis) comprehendunt promissionem de matrimonio perfecto per cohabitationem corporumque conjunctionem consummando, atque implendo. *via. Hunn. d. loc. quest. 8 & 9.*

§. IV. Inducunt igitur sponsalia de futuro promissionem



nem & spem futurarum nuptiarum. *l. 1. ff. d. sponsal. can. 3. caus. 30. quest. 5.* quia tamen in contrahendis matrimoniis libera potestas esse debet. *l. 5. C. d. sponsal.* hinc jure civili non solum mutuò utriusque consensu possunt resolvi, idque convenienter regulæ, quæ traditur in *l. 35 ff. d. R. Jur.* sed etiam alterutrius pœnitentiâ. *l. 1. C. d. spons.* liberrimum enim arbitrium in matrimoniis contrahendis jure Romano concessum. *l. 134. ff. d. V. O.* hoc tamen in casu tunc utique citra fraudem à promissione receditur, quando subest justa pœnitendi causa: eâ verò deficiente, siquidem sponsus non stat promissis, amittit arrham datam: sin sponsa, duplicatam restituere tenetur. *d. l. 5* jure canonico hæc paulò aliter se habent: etsi enim prædicta sponsalia mutuò utriusque consensu dissolvi canones quoque patiuntur, si sc. sponsus & sponsa commoniti modis omnibus induci nequeunt, ut fidem præstitam observent. *cap. 2. X. d. spons.* licet jusjurandum intervenerit: hujus enim alter alteri gratiam facere potest. *arg. e. 1. X. de iurejur.* nam quilibet favori & juri pro se introducto potest renunciare. *l. pen. C. d. pact.* Pœnitentiâ tamen alterutrius illud fieri non permittunt, sed à placitis resiliens compelli potest ad matrimonium. *cap. 10. X. d. spons.* nisi justa & fontica causa aliud flagitet. *d. cap.* quo casu jure id recusatur, licet jurisjurandi religio intervenerit. *d. cap.*

§. V. Quamvis autem sponsalia de præsentî æquè sint matrimonium, atque id, quod per cohabitationem corporumque conjunctionem est consummatum. *vid. §. 9.* attamen jure canonico in dissolutione concedenda aliisque magnum inter utrumque discrimen reperitur: Facilius enim matrimonium saltem perfectum s. sponsalia de præsentî, & pluribus ex causis dirimitur, quàm id, quod omnibus numeris est absolutum & consummatum. *vid. Johann. Gethard. d. conjug. §. 60. Carpzov: jurispr. consist. lib. 2. t. 10. def. 175. & seqq. isem tit. 11. def. 202. & 203.* Sed an sponsalia de præsentî dissolvi quoque possunt mutuò consensu? Negat. quia hîc
verum



verum subest matrimonium. *cap. 25. X. d. spons. add. §. 3.*
Jure civili quoad dissolutionem non distinguo sit ne matrimonium perfectum saltem, an consummatum, nam utrumque iisdem ex causis dissolvitur, de quibus vide *Nov. 117. cap. 8. 9 & 10.* quoad alia quoque, quæ à matrimonio pendent, perfectum matrimonium à consummato non separo.



§. V I. Bina contrahere sponsalia prohibitum est sub pœna infamiæ. *l. 1. ff. de his, qui notant. infam.* haud rarò tamen evenit, ut posthabitâ existimatione ab hominibus temerariis præceptum hoc negligatur. Quare haud absurdè quaeritur, binis sponsalibus contractis quænam præferri debeant? ad hanc igitur quaestionem respondeo, quòd, siquidem utraque sunt de præsentì, ea præferuntur, quæ tempore sunt priora, licèt ad posteriora accesserit concubitus. *cap. 31. X. d. sponsal.* quia sc: inter contrahentes priores verum jam atque legitimum est matrimonium. *cap. 25. X. d. sponsal.* id quod per rem illicitam non debet irritari. *cap. ult. X. d. spons. duor.* Hoc tamen ita demum verum est, quando pars illa, cum qua priore locò sponsalia de præsentì contracta, desiderat se præferri: haud dubiè enim jure recusare potest eum, qui fide ruptâ cum alia corpus miscuit. *Siruv. Ex. XXIX. sb. 16. vid. Beust. d. spons. cap. 10.* Si verò quis cum una contraxit sponsalia de præsentì, cum alia de futuro, tunc ea, quæ de præsentì sunt, semper potiora habentur, sive priora, sive posteriora sint. *d. cap. 31. X. d. spons.* idque ob vinculum conjugale, quod subest. *cap. 25. eod. cap. 1. X. d. spons. duor.* nisi ad sponsalia de futuro priora accesserit concubitus. *cap. 15. X. d. sponsal.* licèt enim non concubitus; sed consensus faciat matrimonium. *can. 6. caus. 27. q. 2.* attamen ex ejusmodi concubitu matrimonium inducitur præsumtivè; idque in tantum, ut hìc non admittatur probatio in contrarium. *cap. 30. X. d. spons.* Sed si concubitus præcesserit matrimonii promissionem, tunc sunt & manent sponsalia. *d. cap. 15.*

§. V I I. Quid si sponsalia publica & clandestina di-



versis cum personis sint contracta, an hæc præferuntur illis? Hanc antequam aggredior quæstionem, haud abs re fore cen-
seo præmittere quid sint clandestina sponsalia; deinde utrum
valeant, an verò prohibita, & per consequens nulla sint.
Sponsalia igitur clandestina dicuntur duabus de causis, vel
quòd clam parentes sunt contracta, de quibus dictum *sup.*
n. 2. vel quòd remotis omnibus arbitris, & teste nullo præ-
sente à contrahentibus solis celebrata; de quibus hîc. Jure
civilis ejusmodi sponsalia haud dubiè valent: cùm in sponsa-
libus contrahendis nudus consensus contrahentium, atque
eorum, in quorum potestate illi sunt, sufficiat. *per l. 4. l. 7.*
§. 1. ff. de sponsal. nullâ licet testatione interpositâ. *d. l. 7. in pr.*
Neque aliud jure canonicò statutum argumento est. *cap. 1.*
X. de clandest. despons. ubi in sponsalibus clandestinis viro in-
jungitur probatio, quòd sc. sponsalia sint contracta: quod
sanè absurdum esset, si res probata nullum haberet effectum:
imò ad factum impertinens & non relevans probandum ne-
mo admittitur. *Sand. lib. 2. t. 1. d. f. 4. vid. Siruv. Ex. 28. th. 10.*
Videamus jam an sponsalia publica clandestinis prioribus,
ex solo capite clandestinitatis præferantur. Et quidem ità ait
Siruv. Ex. XXIX. th. 16. Beust. d. spons. cap. 15. Verùm cùm
clandestina sponsalia æquè firma sint ac publica, uti dictum;
nec ullibi in jure hoc cautum legatur, juxta jura communia
sponsalia publica posteriora clandestinis prioribus ob solam
clandestinitatem non præferuntur, sed tum demum, quan-
do consuetudine aut statuto id inductum.

§. I I X. Contrahuntur sponsalia purè, vel sub con-
ditione, aut modo, vel denique die adjectò. *Conditio est qua-*
litas quedam adjecta differens negotium in eventum futurum. Est-
que possibilis, & impossibilis; cui sc. natura, vel lex impedi-
mento est, quò minus existat *§. 10. junct. §. 23 l. d. inutil. sti-*
pul. §. l. 15. ff. de condit. insti. Possibili conditione sponsali-
bus adjectâ, eventus ejus est expectandus; nec licet pen-
dente conditione alterutri poenitere citra justam legibusque
pro.



probatam causam: Hoc tamen saltem juxta juris canonici sancita verum puto. *per cap. 10. X. d. sponsal.* non autem secundum principia juris civilis; quia sc: jure civili sponsalibus purè contractis pœnitere licet. *l. 1. C. d. sponsal.* E. multò magis, quando à conditionis eventu sponsalia pendent; cùm tunc ne obligatio quidam nata sit. *l. 213. ff. d. V. Signif.* Existente autem conditione sponsalia vires capiunt. Si ejusmodi conditione adjectâ copula carnalis intervenerit, tunc intelliguntur à conditione recessisse. *cap. 6. X. d. condit. appof.* licèt altera pars protestata sit, se à conditione recedere nolle: *Beust. d. sponsal. cap. 19.* Quid si igitur contracta sint sponsalia sub conditione si parentes consenserint; parentes autem contradixerint, & postea copula supervenerit? hoc in casu deficit conditio, per consequens igitur nulla sunt sponsalia, neque per concubitus inducitur matrimonium. *arg. d. cap. 6.* sponsalia enim, quæ non sunt, per copulam purificari nequeunt. Si verò ante dissensum paternum sponsus cum sponsa concubuerit, tunc conditio per copulam purificatur, & matrimonium inter eos inducitur, licèt dissentiat postea pater. *d. cap. 6. Beust. d. loc.* neque hoc matrimonium pater dissentiens turbare potest. *d. cap.* aliud tamen juxta jus civile, & divinum dicendum, uti postea monstrabo.

§. I X. Dixi §. precedente conditionem impossibilem esse, *cui natura, vel lex impedimenta esset, &c.* Patet igitur hinc conditionem impossibilem dici dupliciter, sc: naturâ, & lege: nam non ea solùm impossibilia dicuntur, quæ per ipsam rerum naturam fieri nequeunt, sed illa quoque, quæ pugnant cum legibus, bonis moribus, & publica honestate. *l. 15. ff. d. condit. Instut.* impossibilis itaque conditio sponsalibus apposita, siquidem naturâ talis est, juxta canones pro non adjecta habetur. *cap. ult. X. d. condit. appof.* idque (uti dicunt) favore matrimonii. *d. cap.* si verò lege talis, si turpis est, tum, siquidem cum ipsius conjugii pugnat substantia, nulla sunt sponsalia. *d. cap.* Si autem non est contra matrimonii



monii essentiam, sed aliâ ratione turpis, tum itidem pro non adjecta habetur. *d. cap.* Verum, *Auditum admissi visum te- mentis amici!* cernitur hîc haud dubiè pontificis errantis er- tor longè gravissimus: notum enim, & indubitati juris est ad sponsalia ineunda consensu opus esse: quis autem dixe- rit impossibili conditione sponsalibus adjectâ contrahentes consentire? nemo sanè nisi stupidissimus, cujus capiti pur- gando vix tres Anticyræ suffecerint. Ex ejusmodi enim. conditione dissensus magis, quàm consensus colligitur. *l. 31. ff. d. O. & A.* imò joculari potius, quàm consentire hoc in ca- su partes videntur: per jocum autem promittens non ob- ligatur. *l. 3. §. 2. ff. eod.* sibi que, qui alterum obligatum vo- luit, imputet cur ejusmodi conditionem adjecerit, aut adjici passus sit.

§. X. *Medus est adjectio indicans quid post contracta sponsalia fieri abeat.* Hinc itidem in possibilem, impossibili- lem, atque turpem dividitur: Si possibilis sponsalibus adje- ctus, tunc non quidem suspendit ea, uti conditio, attamen implendus est. *Siruv. Ex. XXI X. ib. 8.* si verò impossibilis, vel turpis est, tunc sponsalia non vitiat, sed vitiatur: habe- tur enim pro non adjecto. Nam qui sub modo contrahit, is statim obligatur, aliter atque in conditione apposita, ideo- que non potest dici per jocum contraxisse, sed saltem obli- gationi jam constitutæ jocandi animò ejusmodi modum ap- posuisse. Dicta intelligo de omni modo impossibili, aut tur- pi, etiam eo, qui pugnat cum essentia matrimonii, licet dis- sentiat pontifex. *d. cap. 6.*

§. X I. Hæc de sponsalibus dicta sufficiant, perga- mus jam ad nuptias. Dictæ sunt nuptiæ à nubendo, hoc est tegendo: quia caput novæ nuptæ subtili ac tenui, luteique coloris velabatur velo, cui nomen erat flameo; eum sc: in finem, ut ne pudor novæ nuptæ proderetur: uti patet ex illo Lucani libro 2. ità canentis:


Non



*Non timidum nupta leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flamma vulcus.*

Autor conjugii est DEUS, qui non solum omni generi animantium indidit instinctum atque inclinationem, quam mas & foemina moti ad conjunctionem impelluntur. *pr. l. d. jur. natur. gent. & civil.* sed etiam conjugalem statum speciatim inter homines constituit, suisque legibus, tanquam certis limitibus circumscripsit. *Genes. 2. v. 22.* Sunt autem nuptiae viri & mulieris conjunctio, individuum vitae consuetudinem continens. *§. 1. l. d. pat. potest.* Dico conjunctio, non autem contractus uti nonnulli: quia in nuptiis non est objectum habile ad contractum; homo enim liber non est in commercio. *l. 34 §. 2. ff. d. contrah. emt. §. 2. l. d. inutil. stipul.* nec officia conjugalia. *vid. l. 2. §. 1. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* Sunt igitur nuptiae conjunctio. Hoc tamen noli accipere de conjunctione corporum, s. copula carnali; sed de animorum conjunctione: nuptias enim non facit concubitus, sed consensus. *l. 30. de regul. jur. l. 66. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* Utraque quidem conjunctio in nuptiis concurrat; nec una absque altera esse potest; hinc ex concubitu conjunctio animorum in individuum vitae consuetudinem infertur. *Vid. Struv. Ex. XXIX. th 21. add cap 30. X d. sponsal.* unde etiam est, quod stuprator negans matrimonii promissionem juramento purgatorio a praesumptione juris se liberare tenetur. *Struv d Ex. th 17.* verum haec ad perfectionem, illa ad implementum matrimonii pertinet; atque matrimonio jam in suo esse constituto supervenit.

§. X I I. Ut autem liberi prognati sint in potestate nostra, non sufficit quocumque modo nuptias esse contractas, sed necesse est, ut juxta legum praecipua id fiat. *pr. l. d. nupt.* ad quod requiritur (1.) ut contrahentes sint cives Romani. (2.) ut sint legitimae aetatis. (3.) ut consentiant omnes, id est qui coeunt, quotumque in potestate illi sunt. (4.) Ut debito



bito sanguinis & affinitatis gradu inter se distent. (5.) Ut nec honestas, nec alia ulla ratio impedimento sit. Dos autem, & instrumenta nuptialia non requiruntur, *Nov. 74 cap. 4. l. 4. ff. d. fid. instrum.* sed solus consensus in præsens matrimonium: Si enim sponsalia fiunt per promissionem in matrimonium futurum; necessariò sequitur quòd ipsæ sint nuptiæ, quando contrahentes consentiunt ità, ut statim sint vir & uxor, aut saltem aliud quid, id quod mihi quidem non occurrit. Sed quid de solenni in domum deductione, dicendum? illam præcisè necessariam fuisse monet *Gothof. in not. ad l. 15. ff. d. condit. & demonstr.* ejusque assertio firmari posse videtur. *per l. 5. ff. d. rit. nupt. l. 56. §. 1. ff. d. donat. int. vir. & uxor. l. 15. ff. d. condit. & demonstr. l. 24. C. d. nupt. l. 6. C. d. donat. ant. nupt.* attamen his non obstantibus dico, deductionem in domum mariti frequentem quidem Romanis fuisse, non autem tanquam essentielle nuptiarum requisitum ab iisdem desideratam. *l. 66. in pr. ff. d. donat. int. vir. & uxor. l. 22. C. d. nupt.* Legum in contrarium allegatarum prompta solutio est, & ad eas ordine responderem, sed temporis angustia me festinare jubet. Juxta mores hodiernos jure canonico introductos requiritur, ut contrahentes tribus distinctis terminis è suggestu proclamantur. *cap. 3. X. d. clandestin. despons.* Hoc factò ipso nuptiarum die sacerdos eos copulare, atque benedicere ipsis debet. *can. 1. caus. 30. q. 5.* Hæc tamen proclamatio, item sacerdotalis benedictio, non ad essentialiam matrimonii pertinet, sed matrimonio jam in suo esse constituto supervenit. *arg. cap. 25. X. de sponsal.* eum sc: in finem, ut de consensu conjugali eò melius constare possit. Si igitur sit omissa, contrahentes quidem peccant contra ordinationes ecclesiasticas, attamen matrimonium ipsum manet in sua firmitate; & partes omittas solennitates adhuc adhibere tenentur; nisi tamen sub pœna nullitatis solennitatum harum observatio injungatur. *Sand. lib. 2. tit. 1. defin. 1.* Hinc inferò quòd, si sponsus de præsentis sponsam suam ante su-

per



pervenientes hasce solennitates cognoscat, liberi ex illa conjunctione nati sint legitimi: idque haud dubiè verum est, quando concepti quidem ante, sed editi post solennitates illas adhibitas: haud ignoti enim juris est quoties de statu liberorum quæritur, non conceptionis, sed nativitatis tempus inspicere. *l. 10. C. d. natur. liber.* nisi favor partus contrarium suadeat. *d. l.* Sed quid si ante sacerdotalem benedictionem & concepti, & nati sunt? nihilo minus sunt legitimi; sive benedictio post adhibita, sive ob alteram partem morte præventam adhiberi nequivit: quia inter eos, qui de præsentibus sunt desponsati, etiam ante benedictionem ecclesiasticam verum est matrimonium. *cap. 25. X. d. sponsal.* Copulatio & benedictio fieri debent in facie totius ecclesiæ. *arg. cap. 2. & 3. X. d. clandest. despons.* receptum tamen ut sufficiat in cœtu fidelium eam factam. *Siruv. Exerc. XXIX. tb. 26.* clam igitur non est celebranda. *cap. ult. X. d. clandest. despons.* si tamen clam facta à contrahentibus publicetur, tum ità accipitur, ac si in ecclesiæ conspectu peracta sit. *cap. 2. eod.*

§. X I I I. Justas igitur nuptias contracturi debent esse cives Romani. *pr. l. d. nupt.* inter servos itaque jure Romano nuptiæ contrahi non possunt, & conjunctio eorum dicitur contubernium. *l. 2. C. d. incest. nupt.* peregrini quoque ob civitatis defectum eodem jure à nuptiis arcentur. *arg. d. pr.* inter se tamen suo ac gentium jure eos matrimonium contrahere posse nullus dubito. *Hub. in Pral. ad l. d. nupt. num. 7.* Quia igitur deportati amittunt omnia ea, quæ à civitatis jure pendent, hinc nuptias contrahere non possunt. *per l. 6. & 17. ff. d. interd. & releg.* & quas ante contraxerunt, hæ deportatione solvuntur. *l. 56. ff. solut. marrino.* Quod de peregrinis dictum, illud hodie non obtinet, non enim nationes hac in parte discernuntur. (2.) Debent esse justæ ætatis; masculi quidem puberes, scæminæ viripotentes. *pr. l. d. nupt. arg. l. 4. d. rit. nupt. l. 10. pr. ff. d. condit. & demonstr.* Puberes jure civili masculi dicuntur post annum quartum.




decimum: foeminae autem viripotentes post duodecimum aetatis annum. *pr. l. quib. mod. tutel. finit.* tempus hic computatur naturaliter, ita sc: ut currat de momento in momentum. *per l. 4. ff. d. rit. nupt.* Canonistae pubertatem ex corporis aptitudine aestimant. *c. 5. §. ult. X. d. despons. impub.* Nos sequimur definitionem juris civilis.

§. X I V. Ad justas nuptias (3.) necessarium est, ut consentiant omnes, id est qui coeunt, quorumque in potestate illi sunt. *l. 2. ff. d. rit. nupt.* Primò igitur eorum, de quorum conjunctione agitur, consensus adesse debet. *d. l. 2. utrum sit expressus, an tacitus, nihil refert. arg. l. 11. junct. l. seq. ff. d. spons.* hic tamen nota, quòd magnum sit discrimen inter filiumfam. & filiamfam. ille enim suo arbitrio consentire patri, vel ab eo dissentire potest, idque etiam citra causam. *arg. l. 12. §. 1. junct. l. 13. ff. d. spons.* nec cogitur filiusfam. uxorem ducere. *l. 21. ff. d. rit. nupt. l. 12. & 14. C. d. nupt.* Si tamen propensâ pietate in patrem non recusavit ducere, eam, quam pater duci suadebat, tunc, licet eam si suae spontis fuisset, non duxisset, firmum est matrimonium. *l. 22. ff. d. rit. nupt. vid. Donell. l. b. 13. cap. 20. lit. K. ibiq. Hiliger.* Filiafam. non ita liberè nuptias contrahit, idque ob sexus fragilitatem ac verecundiam: nam pater elocare eam pro lubitu potest. *vid. Liv. lib. 38. cap. 57. & patris solius arbitrium spectatur. l. 20. C. d. nupt.* nec dissentire ab eo filiafam. potest, nisi indignum moribus, aut turpem sponsum ei pater eligat. *l. 12. §. 1. ff. d. sponsal. aliud jure canonico obtinere dicunt. per cap. 14. X. d. spons. Brunnem. ad d. l. 12. n. 4.* Illi quoque, quorum in potestate sunt contrahentes, consentire debent. *pr. l. d. nupt. l. 2. ff. cod.* hinc facilè patet matrimonium absque consensu parentum contractum ipso jure nullum esse. *pr. l. d. nupt. junct. §. 12. cod. & l. 2. ff. d. rit. nupt.* idque procedit, non solum quando consensus eorum planè non est requisitus, sed tunc quoque, quando consulti justam ob causam consentire nolunt. Si autem citra causam fonticam dissentiant, tunc magistra-



gistratus à liberis aditus auctoritatem suam interponit. *l. 19. ff. d. rit. nupt.* Sed quid si ad nuptias insciis vel invitis parentibus contractas accesserit concubitus an tunc confirmantur ita ut à patre dissolvi non possint? Quantum ad hanc quaestionem, dissentiunt inter se interpretes, interim ego in eorum sententiam pedibus eo, qui dicunt nuptias absquæ parentum consensu contractas non convalidari per subsequentem copulam carnalem, sed à parentibus rectè dissolvi posse. *per pr. l. d. nupt. junct. §. 12. eod. l. 11. ff. d. stat. hom. n. l. 30. ff. d. Reg. Jur. l. 15. ff. d. cond. & demonstr.* Nam durante nullitatis causâ, haud dubiè durabit quoque ipsa nullitas: causa verò cur ejusmodi nuptiæ sint nullæ, est defectus consensus paterni, quàm diu igitur ille deest, tam diu nuptiæ sunt & manent nullæ. Nec tollitur illa causa nullitatis per copulam supervenientem, utpote quæ ipsa hic turpis & illicita nil nisi peccatum auget. Accedit auctoritas juris divini. *vid. Exod. 22. v. 16. & 17.* quâ tamen parvi factâ pontifices subsistere volunt ejusmodi matrimonia. *c. sufficiat. caus. 27. q. 2. cap. 6. X. d. raptor. cap. 6. X. d. condit. appos. Struv. Exerc. XXI. ib. 23.* verùm quo jure, quave injuria, cuivis ponderandum relinquo. *vid. Donell. lib. 13. cap. 20. lit. P. & seqq.* Si tamen nuptias clandestinas postea ratas habeat pater, tunc ex eo tempore incipiunt esse legitimæ: hinc liberi quoque post ratihabitationem nati sunt legitimi. Verùm an ratihabitio patris ex postfacto superveniens confirmat nuptias etiam quoad tempus ratihabitationem antecedens; ita, ut liberi ante ratihabitationem patris nati retro justî atque legitimi sint? Dico quòd non. *per pr. l. d. nupt. l. 13. §. 6. ff. ad leg. jul. d. adult.*

§. XV. Consensui contrarius est *l. error. l. 2. pr. ff. d. judic.* necessariò igitur vitiat matrimonium. *arg. d. l. 2. junct. l. 2. ff. d. rit. nupt.* Hoc tamen non de omni errore dictum volo, sed de eo, qui (1.) est circa ipsam personam, v. c. si quis putat se ducere Cajam, cum sit Sempronia, *arg. l. 9. in pr. ff. d. contrah. emt.* (2.) qui committitur circa qualitates



personæ ad essentiam matrimonii pertinentes, uti evenit, quando erratur circa potentiam generandi. *Struv. Ex. XXIX. tb. 25. Vinn. ad pr. l. d. nupt. n. 3.* Huc quoque refero, quando personæ contrahentes errant in necessitudine. *Struv. & Vinn. dd. loc.* Si verò quis ducit eam, cui vitium ab alio oblatum, cum eam virginem crederet, subsistit ab initio quidem matrimonium; quia in ipsam personam consensum est, nec in qualitate aliqua matrimonii essentiali erratum: æquè enim deflorata officia conjugalia præstare potest ac virgo, neque leges ullæ vetant, quò minùs quis sciens volensque compressam ab alio uxorem ducere possit: Si tamen tentatâ reconciliatione vir uxori violati pudoris grâtiâ facere nolit, dissolutio concedenda. *Struv. Ex. XXIX. tb. 25. Carpz. jurispr. forens. const. 20. definit. 12. facit etiam pro hac sententia lex divina, non solum divortium concedens, sed etiam mulierem lapidibus abruî jubens Deuteron. 22.* jure tamen canonico contrarium statutum. *c. unic. caus. 29. quæst. 1. cap. 25. X de jurejur.* Quando erratum saltem circa qualitatem aliquam accidentalem, v. c. si quis putat se ducere divitem, cum sit pauper tunc rectè aliàs initum matrimonium non vitiatur. II. Consensui adversatur metus: eo igitur interveniente, nuptiæ ipso jure nullæ sunt. *arg. l. 2. ff. d. rit. nupt. l. 14. C. d. nupt.* nisi tamen metu coactus postea sponte cohabitaret; aut metus saltem sit reverentialis, à quo absunt vincula, verbera, minæ: d. quo intelligo. *l. 22. ff. d. rit. nupt. vid. §. 14.* III. Furor impedimento est nuptiis: huic comparo eum qui adeò est inebriatus, ut usus rationis in eo planè sit sepultus. Si saltem paulò plus Bachi aliquem tenet, is nuptias contrahens firmiter obligatur.

§. X V I. Dixi supra eorum consensum in nuptiis adesse debere, in quorum potestate contrahentes sunt. *per l. 2. ff. d. rit. nupt.* Qui igitur eos in potestate non habent, eorum etiam consensu hic non est opus. Hinc I. liberi absque consensu matris nuptias rectè contrahunt. *arg. d. i. 2. junct.*



junct. §. 10. l. d. adopt. & §. 3. l. d. hered. qualit. licet enim & patri, & matri eadem debeat reverentia. *l. 4. C. d. pat. potestas. vid. Liv. lib. 2. cap. 40.* attamen patriæ potestatis mater non est particeps; verum patri, utpote qui ob sexus præstantium caput est familiæ, soli illa competit. Hinc I I. ut pater consentiat in nuptias liberorum emancipatorum, necesse non est. *l. 25 ff. d. rit. nupt.* Excipitur tamen (1.) nepos ex filiosam. etsi enim hic non sit in patris sed avi potestate. *vid. l. 21. ff. ad leg. jul. d. adult.* attamen & patris, & avi consensus ei uxorem ducturo est necessarius. *l. 16 ff. d. rit. nupt.* ne sc: patri invito suus agnascatur hæres. (2.) excipitur filia emancipata annis viginti quinque minor: hæc enim si-ve virgo, si-ve vidua sit, patris consensum habere debet. *l. 18. & 20. C. d. nupt.* non igitur simpliciter patris arbitrio est adstricta uti filiosam. *vid. §. 14.* Verum in ea collocanda ipsius quoque voluntas à patre expectanda. *d. l. 20.* Patre orbata matris, & propinquorum consensum requirere debet. *d. l. 20.* idque ob sexus imbecillitatem. *Cujac. l. 3. observ. 5.* Si patris, aut reliquorum voluntati sententia filia repugnat, tunc magistratus autoritate interpositâ is potior est, quem ex competitoribus genere, ac moribus paribus, mulier approbat. *d. l. 18. & 20.* Hinc denique I I I. curatorum consensu opus non est. *l. 8. C. d. nupt.* neque affinium, aut cognatorum. *d. l. excepto casu d. leg. 18. & 20.* Si autem filia emancipata annis 25. minor non observatis dictis legibus matrimonium contrahit tunc matrimonium est ipso jure nullum. *arg. d. l. 18 & 20. junct. §. 12. l. d. nupt.* facit enim contra legem. *l. 29. d. legib.* quod autem contra præscriptum legis fit, aut eâ prohibente, illud nullum est. *l. 5. C. d. legib. Sand. lib. 3. tit. 1. de fin. 4.*

§. XVII. (4.) Justæ nuptiæ requirunt, ut debitò cognationis, & affinitatis gradu contrahentes distent. *Cognatio est necessitudo hominum, quos sanguis verè, vel fide junxit.* Estque triplex. *vid. l. 4. §. 2. ff. d. grad. & aff. l. 14. ff. d. rit. nupt.*

l. 14.



l. 1. § 4. ff. und. cognat. Continet cognatio gradus & lineas: Dicti sunt gradus à similitudine scalarum, locorumque proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum transeamus. *l. 10 §. 10. ff. d. grad. & affin.* Est autem gradus distantia cognatorum abs se invicem: Linea verò series personarum ab eodem stipite descendendum. Dividitur in rectam, & obliquam: recta vel ascendens, vel descendens est; prout vel à liberis ascendimus ad parentes; vel à parentibus descendimus ad liberos. Linea obliqua vel equalis est, quando persona, de quarum distantia quaeritur equali gradu distant à communi stipite: vel inaequalis, quando altera stipiti est proximior, altera remotior ab eo. Jure civili in graduum computatione, unâ eaque generali, atque in qualibet linea, regulâ utimur: nimirum, quot sunt generationes, tot sunt gradus. *l. 10. §. 9. ff. d. d. grad. & affin.* pater igitur meus à me differt gradu primò; avus gradu secundò. Qui enim ei, qui mihi proximò gradu est, proximus est, is secundò gradu est mihi. *d. l. 10. §. 9.* Sic quoque in linea transversa frater à fratre distat gradu secundo; à nepote ex fratre gradu tertiò, & ita porrò. *d. l. 10. §. 9.* Hic tamen nota, in linea transversa jure civili non dari primum gradum. *l. 1. §. 1. ff. d. grad. & aff.* quia impossibile est, ut à latere ad latus pervenire possimus, nisi per eum transeamus, à quo, velut communi principio, utrumque latus originem trahit; in eo autem transitu invenimus generationes ad minimum duas, nunquam unam, E: nec primum gradum: quia, uti dictum, quot sunt generationes, tot sunt gradus. Jure canonico d. graduum computatione tres proditæ sunt regulæ: una in linea recta, quæ convenit cum regulâ civili. *can. 2. caul. 35. q. 5.* duæ in linea collateralis; quæ jure civili incognitæ, & parum cum ratione naturali conveniunt: Nimirum quando utraque persona æquali gradu à stipite communi distat, tunc dicunt canones *quoto gradu alteruter distat à communi stipite, eodem inter se distat.* Hinc frater à fratre distat gradu primò; quia eodem gradu abest




abest à stipite. *d. can. 2.* Quando verò altera persona stipiti est proximior, altera remotior ab eo, tunc definiunt *Quoto gradu remotior distat à communi stipite, eodem gradu inter se distant.* Patruus igitur à nepote ex fratre distat gradu secundo, quia nepos eodem gradu differt ab avo. Verùm hæc canonica graduum computatio adeò absurda est, ut juxta eam eodem gradu nepos ex fratre distet à patruo, & filio patruus: item fratris mei abneptis mihi & abnepoti meo æquè sit propinqua. Quo quid stultius, aut magis absurdum excogitari potest?

§. X I I X. Traditâ graduum computatione videamus quinam gradus in qualibet linea liciti, quinam prohibiti sint illis, qui justas nuptias contrahere volunt. Jure civili & canonico in linea recta nuptiæ sunt prohibitæ in infinitum. *§. 1. l. d. nupt. l. 53. ff. d. rit. nupt.* idque verum est in omni cognationis specie: Non solùm igitur filiam meam justis nuptiis quæsitam ducere non possum, aut neptem, aut proneptem, & ità porrò *d. pr.* sed ne eam quidem, quam ex contubernio suscepi. *l. 14. §. 2. ff. d. rit. nupt.* aut quæ mihi adoptione filia, vel neptis & ità porrò esse cœpit. *d. pr. l. d. nupt.* in tantum, ut etiam dissoluta adoptione idem juris maneat. *d. pr. & l. 55. ff. d. rit. nupt.* idque ob solam honestatem, & memoriam paterni nominis. *Bachov. ad §. 1. l. d. nupt.* Jure divino in linea recta nuptiæ expressè leguntur prohibitæ usque ad gradum secundum inclusive. *Ezech. 22. v. 10. Levit. 18. v. 7. & 10.* attamen ob naturalem verecundiam, quæ non sinit ortus autores cum sua sobole, etiam remotiore, conjungi; & cùm in hac prohibitione potius respiciatur ad venerationem personarum, quàm ad numerum graduum; remotiores quoque gradus eodem jure prohibitos dicunt interpretes. *Grat. d. jur. cell. lib. 2. c. 5. §. 13 n. 4.* Atque hæc prohibitio non ceremonialis, sed moralis, & naturalis est: In ipsis enim affectibus insita fuga quædam ejusmodi conjunctionis inest. Unde Thiestes, cùm suæ ipsius filiæ con-


C

cubu



cubiisset, querebundus inquit: *Versa natura est retro, Avo parentem (proh nefas) patri virum. Natis nepotes mihi nostri debent.* Senec. Trag. in Agamemnu. Hinc jurisconsultus dicit contra naturale jus, & pudorem esse, filiam uxorem suam ducere. l. 14. §. 2. ff. d. rit. nupt. Accedit, quod maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam matri in uxorem ductæ præstare non potest, quam natura exigit: id quod Phædræ quoque probè notum fuit, dum privigni petens concubitum inquit: *Matri superbum est nomen, & nimium potens, Nostros humiliter nomen affectus dicit, Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca, Famulamque potius* Senec. Trag. in Hippol. Neque patri filia, quanquam enim inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium ejusmodi inducit societatem, quæ reverentiam patri naturâ debitam excludit.

§. X I X. In linea collateralis non semper in infinitum usque nuptiæ sunt prohibitiæ, verum prohibitio cum tertio gradu aliquando cessat: nimirum secundus & tertius gradus inclusive semper est prohibitus; §. 2. & 3. l. d. nupt. l. 17. §. 2. ff. d. rit. nupt. Frater igitur sororem ducere nequit. d. §. 2. l. 17. C. d. nupt. non solum quando naturali & civili jure soror est; sive germana sit, sive consanguinea, sive uterina. d. §. 2. Sed nec eam, quam sola natura sororem facit, vulgò quæsitam sc. l. 54. ff. d. rit. nupt. add. l. 14. eod. aut denique nuda ratio civilis; uti evenit in sorore adoptiva. §. 2. l. d. nupt. Patruus quoque, & avunculus ex fratre aut sorore neptem ducere nequit: nec econtra amita, aut matertera nubere fratris vel sororis filio. §. 3. l. d. nupt. l. 17. §. ult. ff. eod. idque procedit, licet cognatio naturalis tantum inter eos intercedat, per l. 14. §. 1. d. rit. nupt. aut adoptio patrum amitamve fecerit. §. 5. l. d. nupt. Dico patrum amitamve: matertera enim, aut avunculus nemo fit per adoptionem. vid. Vinn. & Bashov. ad §. 5. l. d. nupt. Adoptio enim, utpote figmentum civile, tribuit saltem agnationem, & ea mediante cognationem: quæ verò à sanguine, aut naturali



turali propagatione dependent, ea adoptio non confert, nisi mediante agnatione. Unde quibus adoptatus agnascitur, illis & cognatus fit, quibus autem non agnascitur, illis quoque cognatus non fit. *l. 23. ff. d. adopti* deficit enim medium civile: ideoque inter has personas nuptiæ non sunt prohibita. Si quis itaque habens filiam, aliam adoptaverit, eaque postea filium pepererit, hic potest cum sorore matris adoptiva matrimonium contrahere. *per l. 12. §. ult. ff. d. rit. nupt.* Sic quoque sororem ejus, quæ patri meo adoptivo connubiò juncta est, rectè uxorem duco. *Bachov. d. loc.* hinc quoque sororem patris adoptivi uterinam, stante licèt adoptione, conjugere mihi possum. *l. 12. §. ult. ff. d. rit. nupt.* Haec tamen regula. Aliquando tamen evenit, ut adoptione nec agnatio, nec per consequens cognatio sit constituta; attamen nuptiæ nihilominus sint prohibita, uti evenit in conjugem matrem, & matertera patris adoptivi. *l. 14. pr. l. 55. §. 1. d. rit. nupt.* idque ob solam honestatem. Prohibitio autem nuptiarum propter adoptionem tam diu durat, quam diu ipsa durat adoptio; ea cessante hæc cessat. *§. 2. l. d. nupt. d. l. 55. §. 1.* nisi quòd dissoluta adoptione nihilò magis quis ducere uxorem quondam patris adoptivi potest, quia novercæ locum habet. *d. l. 14.* Nuptiæ autem inter fratres & sorores, item patruum & neptem ex fratre, avunculum neptemq; ex sorore, amitam & nepotem ex fratre, materteram & nepotem ex sorore non solum civili jure prohibentur, uti modò demonstratum, sed etiam lege divina: Deus enim inquit: *Qui acceperit sororem suam, nefariam rem operatus est, & in conspectu populi occidetur. Levit. 20. v. 17. item. Maledictus omnis, qui dormit cum sorore sua. Deuteron. 27. v. 22* de amita, & matertera *vid. Levit. 18. v. 12 & 13* ubi quoque nota, idem, quod de amita & matertera ibidem dicitur, ex paritate rationis producendum ad patruum & avunculum. Utrum autem conjunctio fratris & sororis, item reliquorum, ipso quoque jure naturæ sit interdicta, ardua est quæstio, nec eadem omnium jurisconsultorum circa eam sententia: Verior tamen & rationi naturali



conveniens videtur opinio eorum, qui affirmando ad dictam quæstionem respondent. Nam justus ille judex, DEus Optim. Maxim. sine dubio non extirpasset gentes Cananæas ob ejusmodi abominandas conjunctiones, aliaque damnanda facinora, quæ referuntur *Levit. 18.* cum nulla lex positiva ipsis ullibi lata aut præscripta legatur; nec per consequens neglectæ, aut violatæ legis argui possint. *vid. l. 9. C. d. legib.* nisi ipsa natura cordibus illarum indidisset notitiam, ut ab ejusmodi commixtionibus similibusque horrendis peccatis abstinerent dum sc: appetitum conjunctionis in fratrem fororemque ac reliquos cadere non patitur. *vid. Vinn. ad §. 3. l. d. nupt.*

§. X X. Quartum lineæ collateralis quod attinet gradum, atque ulteriores, distinguendum est, utrum illi, de quorum conjunctione quæritur, sint sibi invicem parentum liberorumque locô, an non: Casu priore nuptiæ inter eos sunt prohibitæ, non autem posteriore, uti mox exemplis declarabo. Ut autem dijudicare possimus, an parentum liberorumque respectus inter eos intercedat, regula hæc observanda est: *Quoties alterutra persona immediate subjecta est stipiti, ex quo ipsa aliaque remotior cognata persona descendit, toties sunt sibi invicem parentum liberorumque locô.* Duorum igitur fratrum liberi conjungi possunt. §. 4. *l. d. nupt.* quia sc: sunt in gradu quarto, nec sibi invicem parentum liberorumque locô: cum neutra persona stipiti communi immediate sit subjecta, dum suus quamque pater præcedit. Civili juri divinum hic respondet; consobrinorum enim nuptiæ, nullibi in Bibliis leguntur interdictæ: imò viros sanctos consobrinas suas conubiô sibi junxisse, exemplo est Jacobus, qui jussu patris Isaaci in Mesopotamiam profectus, Labanis avunculi sui filias uxores duxit. *Genes. 28. v. 16. & 17.* Frater autem, & fratris neptis conjungi non possunt, licet quartô sint gradu. §. 5. *l. d. nupt.* idque ideo, quia inter eos parentum liberorumque est respectus; dum frater, s. patruus magnus respectu proneptis



tis ex fratre, immediatè subjacet stipiti communi, unde ipse cum remotiore illa persona originem trahit. Hæc quoque prohibitio perinde ut in linea recta nullo gradu finitur, sed in infinitum patet. *l. 53. ff. d. rit. nupt. §. 3. l. d. nupt.* ubi inquit Justinianus, *cujus filiam ducere non licet, neque ejus neptem permittitur.* Hanc tamen regulam non esse generalem, sed ad filiam fratris, vel sororis, ejusque neptem, & ita porrò, pertinere constat: licet enim avi mei filiam uxorem ducere nequeam, attamen neptem ejus rectè duco, uti paulò ante dictum. Jure divinò matrimonium ultra tertium gradum hic expressè non legitur prohibitum; quod tamen d. amita, & matertera legitur *Levit. 18. v. 12. & 13.* illud interpretes producere volunt ad reliquos lineæ collatetalis, qui parentum loco sunt. *Vinn. ad §. 3. l. d. nupt.* d. quo tamen meritò dubitari potest, ob rationem in *dd. loc.* expressam. Pontifices in linea collateralis nuptias prohibuerunt usque ad septimum suæ computationis gradum. *caus. 35. quest. 3. c. 19. & 21.* id quod jure novò ad quartum inclusivè est restrictum. *cap. 8. X. d. consang. & affin.* idque sinè distinctione, utrum contra-hentes sint sibi parentum locò nec ne. *Boëkelm. in comp. ad t. l. d. nupt. n. 15.* Quò tamen rigidiores sunt in prohibendo, eò faciliores sunt in dispensando, dum omni die pretiò acceptò, matrimonia interdicta permittunt.

§. XXI. Dictum est hætenus quæ nuptiæ vetitæ sint ob cognationem, pergendum igitur erit ad affinitatem. *Affinitas est necessitudo per nuptias contracta, inter conjugem unum, & alterius conjugis cognatos. l. 4. §. 3. ff. d. grad. & affin.* Gradus propriè in affinitate nulli sunt. *d. l. 4. §. 5.* quia se. oriuntur ex generatione: analogicè tamen in affinitate quoque gradus dantur. Unde inquit, Paulus in *l. 10. eod.* Jurisconsultus: cognatorum gradus, & affinium nosse debet. Computantur isti gradus juxta hanc regulam: *Quoto gradu cognationis quis junctus est mihi eodem gradu affinitatis junctus est uxori meæ, & contra.* *v. c. pater uxoris meæ à me distat gradu primo affinitatis, quia eodè gradu cognationis distat ab uxore meæ. l. 10. §. 9. ff. d. grad.*

C 3

& aff.



& affin. In linea itaque recta eadem est nuptiarum prohibitio propter affinitatem, quæ est propter cognationem: in infinitum igitur prohibentur *l. 14. §. ult. d. rit. nupt. l. 17. C. d. nupt.* quia sc. parentum liberorumque locò habentur. *l. 4. §. 7. ff. d. grad. ut aff.* cum sc. vir & uxor sint una caro. Idem jure divino statutum. *Levit. 18. v. 8. 15. & 17. Deuter. 27. v. 20 Levit. 20. v. 12. & 14.* & canonicò approbatum. *arg. cap. 1. X. d. consanguin.* In linea collateralis nuptiæ affinitatis intuitu jure civili non leguntur prohibitæ ultra secundum gradum. *l. 5. l. 8. C. d. incest. nupt.* In gradu ulteriore qui sunt, illi rectè hoc jure junguntur. v. c. neptis ex fratre vel sorore cum viduo amitæ, aut materteræ: item nepos ex fratre vel sorore cum vidua patruis, aut avunculi. *Sand. lib. 2. t. 1. de finit. 8.* jure tamen divino affinitatis intuitu prohibitio in linea collateralis ad tertium usque gradum se extendit: Et quidem in specie hoc jure interdictum est matrimonium cum patruis defuncti uxore. *Levit. 18. v. 14. & Levit. 20. v. 20.* de uxore avunculi, item amitæ, materteræ viduo nullibi in sacro codice fit mentio; attamen ob analogiam de illis idem intelligendum. *Sand. d. loc.* Juxta canones anteriores affinitatis veneratione collaterales jungi non possunt usque ad gradum septimum. *arg. c. 13. caus. 35. quest. 3. junct. c. 19. eod.* id quod posterioribus ad quintum est restrictum. *cap. 8. & 9. X. d. consang. & affin.*

§. XXII. Constituitur affinitas mediante matrimonio *l. 4. §. 3. ff. d. grad. & affin. b.* non inter ipsos conjuges, Neque inter cognatos utriusque conjugis, sed inter conjugem unum, & alterius conjugis cognatos. *c. 3. caus. 35. q. 5.* atque ita capere quoque *l. 4. §. 3. d. grad. & affin.* Privignus igitur vitrici & novercæ affinis est, & nuptiæ inter eos prohibitæ. *l. 6. l. d. nupt. Levit. 18. v. 8.* verum comprivigni affinitate invicem non junguntur; ideoque nuptias rectè contrahunt. *§. 8. l. d. nupt. l. 34. §. 2. ff. d. rit. nupt.*




nupt. licet habeant fratrem, sororemve ex novo matrimonio susceptum. *dd. ll.* neque aliud jure divino de comprivignis statutum. Eandem ob causam frater sororis suae privignam ducere non prohibetur. Nec duo fratres, duas sorores. Pater quoque & filius duas sorores in matrimonio habere possunt; & contra mater & filia duos fratres; uti enim monitum praedictae personae, nec cognati, nec affines sunt *Sand. lib. 2. tit. 1. def. 9.* Affinium quoque conjuges nobis affines non sunt. Ut enim quis mihi possit dicit affinis, necesse est, ut uxori meae sit sanguine junctus. Inter has igitur personas matrimonium non est prohibitum: hinc nihil obstat, quò minus ducam eam, quae fratri uxoris meae quondam fuit nupta. *Vinn. ad §. 6. l. d. nupt.* & contra uxor mea viduo sororis meae rectè jungitur. *VVissenbach Exerc. ad ff. 44. n. 19.* A nuptiis tamen ejus, quae privigni uxor fuit, abstinere vitricus debet. *l. 15. ff. d. rit. nupt.* Nec defunctae privignae maritus in matrimonium convenire potest novercam quondam uxoris suae. *d. l.* idque non ob cognationem, aut affinitatem, sed ob solam honestatem. Dixi affinium conjuges nobis affines non esse: hoc secundum juris civilis principia, ubique & semper verum est; verum juxta canones saltem intelligendum de primo affinitatis genere. Ut hoc eò melius intelligi possit, sciendum est canonistas tria affinitatis genera ponere. Primum est, quod mediante unâ personâ contrahitur. Secundum, quando duae personae; Tertium denique quando tres adsunt. v. c. Uxor fratris mei est in primo affinitatis genere: si mortuò fratre meò vidua ejus nubit alii, is est in secundo genere: si hic viduâ defunctâ aliam ducit, ea est in tertio. Verum postiora duo genera, urpote temerè excogitata, Innocentius III. postea abrogavit. *cap. 8. d. consang. & affin.*

§. **X X I I I.** Praeter prohibitiones haecenus enumeratas aliquando contingit, ut licet nec cognatio, nec affinitas subsit, attamen propter rationem aliquam civilem nuptiae
non-



nonnunquam prohibeantur. Sic qui officium aliquod in provincia administrat: provincialem, ducere prohibetur. *l. 38 ff. d. rit. nupt.* ejusmodi enim matrimonia parum libera creduntur. Senator quoque ejusve progenies, aliique dignitate conspicui connubio jungi nequibant humilibus & abjectis personis. *l. 42. §. 1. l. 43. §. 10. l. 44. ff. d. rit. nupt.* ut libertinis, judicio publico damnatis, & iis, qui vel ipsi, vel quorum parentes artem ludicram exercebant, *dd. il.* Jure tamen novô matrimonium inter ejusmodi personas subsistit. *l. 23. §. 1. C. d. nupt. Nov. 78. cap. 3.* id quod mores quoque servant. Si igitur nobilis ignobilem duxerit uxorem, ratae sunt nuptiae. *dd. II. Carpzov. jurispr. consist. lib. 2. def. 10* Uxor fit nobilis. *l. 8. ff. d. Senator. l. 13. C. d. dignit.* & liberi ex illis prognati. *Carpzov. d. l. def. 11.* Præterea ea, quæ per adulterium polluta est, in uxorem duci nequit, neque ab infante, *l. 29. §. 1. ff. ad leg. jul. d. adult. l. 9. C. eod.* neque ab adultero. *l. 10. C. eod.* Moribus tamen hodiernis inter adulterum & adulteram matrimonium permittitur; modò alter eorum in mortem defuncti conjugis nihil fuerit machinatus: nec eo vivente invicem fidem dederint de matrimonio contrahendo; idque ex autoritate juris canonici. *cap. 6. X. d. eo qui dux. in matrimon. quam per adulter. poll.* Inter raptorem etiam & raptam jure civili vetitum est matrimonium. *l. unic. §. 1. C. d. rapt. virgin. juxta canones tamen permittitur. cap. 7. X. d. raptor*

§. XXIV. Cum iis denique, qui inhabiles sunt ad sobolem procreandam nequit esse matrimonium. *vid. §. 9. l. d. adopt. t. X. d. frig. d. & males.* Quæritur hic (1.) quid juris sit in hermaphroditis? Dicunt Dd. nuptias iis permittendas scilicet ad quas ob sexum prævalentem aptiores sunt *arg. l. 10. ff. d. stat. homin.* Id quod ex corporis inspectione constare debet *Carpzov. dict. lib. def. 16. add. Struv. Ex. XXIX. ib. 27.* Quærit (2.) an sexagenarius, aut quinquagenaria nuptias contrahere possit? *Affirm. l. 27. C. d. nupt.* idque procedit licet pars partem



tem multis annis præcedat. *Carpzov. d. lib. defin. 13.* imò tot
 ut ætatis intuitu contrahentes pàrentes & liberi esse possint.
Vid. Grot. lib. 2. d. jur. bell. cap. 5. §. 12. n. 2. Tertio & ultimo
 queritur an nuptias contracturi debeant ejusdem esse religio-
 nis? distingno inter Christianos & eos qui Christianam reli-
 gionem damnant atque contemnunt, uti sunt judæi Turcæ,
 aliique. Christiani quidem melius facerent, si suæ quisque
 religionis conjugem sibi sociaret, interim matrimonium
 hanc ob causum inter eos non est prohibitum. *Struv. Ex. XXIX.*
lib. 30. Inter judæos autem, aliosque ejusdem farinae, & Chri-
 stianos matrimonium est prohibitum. *l. 6. C. d. jud. & eoel.*
 Hæc sunt, quæ de nuptiis proferræ constitni: DEO igitur
 Optim. Maxim. qui vires ad hæc proferenda largitus est,
 sit laus, honor & gloria in sempiterna secula seculorum,
 Amen.



Corollaria.

I.

LEges humane positivæ juri divino morali con-
 trariæ nec obligant, nec absolvunt in consci-
 entia.

II.

Testamentum, cui causa exheredationis, non est inser-
 ta, non est nullum ipso jure, sed subsistit, & per
 querelam inofficiosi est rescindendum.

D

III.



I I I.

Patruus defuncti in successione ab intestato non excluditur à nepote ex fratre.

I V.

Creditor habens hypothecam generalem fisco cum eodem debitere postea contrahenti non praefertur in bonis post contractum cum fisco initum acquisitis.

V.

Venditor rei tradenda facultatem habens praecise ad rem tradendam tenetur, nec praestando interesse liberatur.

V I.

Servitus altius tollendi male definitur, quod sit jus, vi cuius quis potest aedes suas altius tollere, quod ante conventionem ob statutum non licebat.

V I I.

Iuxta jus civile novissimum damnatus ad ultimum supplicium non potest condere testamentum.

F I N I S.



AB: 154447


ULB Halle 3
004 060 792




Sb.

VD 17







6

NUPTIÆ CIVILES & CANONICÆ.

SEU

Dissertatio Inauguralis Juridica

EXHIBENS

FUNDAMENTA NUPTIARUM CONTRAHEN- DARUM ex PRINCIPIIS JURIS CIVILIS & CANONICI DESUMTA.

Quam

DIVINA ASSISTENTE GRATIA
Autoritate, & Decreto Magnificæ, Nobilissimæ,
& Amplissimæ Facultatis Juridicæ

In ILLUSTRIS ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA
P R Æ S I D E

VIRO AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO

DN. HENRICO BODINO,

1^{to} Celeberrimo, & in hac Inclita Academia HASSO-SCHAUMBURGICA
J. Canon. Profess. ordinario Facultatisque Juridicæ p. t. Pro-
DECANO Spectatissimo

P R O

Summis in utroque jure HONORIBUS ac PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS ritè consequendis
Publicæ

Dnorum PROFESSORUM aliorumq; Eruditorum ventilationi proponit

WOLRAD REINHARD,

HASSO-CASSELLANUS.

Ad diem 10. Februar. Horis ante, & pomeridianis.

ANNO M. DC. XCIII.

RINTHELI, Typis Godofredi Caspari Wächters, Acad. Typog.

